



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput V. Idem a Carnotensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

C A P U T V.

Idem ^a Carnotensi Episcopo.

Significasti nobis quendam presbyterum cum alterius conjugi diabolico ^b instinctu in Ecclesia frequenter , sicut afferis, dormivisse : quæ utique se , & illum sacerdoti cuidam hujusmodi delictum ^c confessos fuisse , publicè tibi detexit. Et hoc ipsum idem sacerdos nomen adulterii celans in praesentia tua dixit. Super quo quid fieri debeat , cum negante adultero mulier in confessione persistat , ab Apostolica Sede consilium requisisti. Nos ergo juxta Sanctorum Patrum decreta volumnus , ut condignam poenitentiam adultera præfata imponens , Ecclesiam prælibatam per adspersionem aquæ sanctificando ^d reconciliis. Prædicto autem sacerdoti , ne contra ^e Apostolum , infirmorum corda malâ famâ ipsius percitantur , & ne nostrum vituperetur ministerium , ne securiores presbyteri existentes , prolabantur licentiū in peccatum , cum vicinis quinque presbyteris , quos nolle pejerare cognoveris , juxta arbitrium tuum e purgationem indicas. Quod si te purgare poterit , in suo officio permittas ipsum ministrare : si verò non poterit , ipsum ab officio suo suspendere nullâ ratione postponas.

N O T Æ.

I. a **C**arnotensi.) Tantum Alexander III. habetur in hac sexta collectione , & in prima , sub hoc tit. cap. 6. Sed tam inscriptionem , quæm literam restituo ex Concilio Lateran. ubi part. 50. cap. 21. reperitur textus hic. De diœcesi Carnotensi egi in cap. 3. de transact. cap. 10. de officio delegati.

b *Confessos fuisse.*) Verba hæc exposui in cap. 2. de offic. ordin.

c *Reconciliis.*) Juxta tradita in cap. 5. de consecr. Eccles.

d *Apostolum.*) Prima ad Corinthios , cap. 8. & ad Corinth. cap. 9.

e *Purgationem.*) Etsi regulariter res inter alios acta , vel judicata , alii neque noceat , neque proficit , I. sape ff. de re judic. latè probavi in cap. penult. cod. tit. tamen si Titius accusatus sit de adulterio perpetrato cum Seia , & Titius absolvatur , potest Seia , si postea acculeretur , se defendere exceptione rei judicata pro Titio latæ : quod si condemnatus sit , sententia non nocet Seia , I. 25. titul. 22. partit. 3. I. 9. tit. 17. partit. 7. ubi redditus ratio huius discrimini , & hæc doctrina limitatur , nisi Seia accusatur de adulterio commisso post sententiam pro Titio latam , quia ad delicta denud commissa iudicatum non extenditur : & nota utrobius Gregorius , desumi sententiam hanc ex lege denunciasse 17. §. ult. ff. de leg. Int. de adult. ubi extat eadem decisio. Verum benignior fuit lex patria , quam ius commune ; quantum hæc regula iuxta illud non est perpetua , sed tantum locum habet favore nuptiarum , si durat matrimonium , quando adultera accusatur. Cæterum si dissolutum sit,

verius est nec prodesse , nec nocere sententiam , I. adulter. 19. §. eo tempore 2. cum sequenti ff. ad leg. Int. de adult. Quamvis autem sententia contra unum lata , non noceat alteri , præsumptionem tamen aliquam facit , & ita illi indicenda est purgatio canonica , ut in præsenti textu , & in c. interrogatum 242. q. 2. & hoc præjudicium quod generatur scio , est tantum præiudicium exemplaris , id est præsumptio delicti , quam unus iudex sumit ex sententia alterius : si enim iudex pronunciat Seum commississe adulterium , de quo cum Titia fuerat accusatus , non potest non moveri alter iudex , qui de causa Titia cognoscit ex sententia contra Seum lata : quamvis enim exemplis non sit iudicandum id , quod alter iudex iudicaverit , sed legibus , & iuriis ratione , I. sed licet 12. ff. de offic. Præsid. I. nemo , C. de sent. & interl. hoc intelligendum est , ut nullus iudex indiscusâ partium iustitiæ , & iurisratione non liberata existimet acquisendum effici iudicio , quod iure simili alter iudex fecit. Tulchus practicar litter. E. conclus. 543. Barbola axiomat. 86. num. 3. Valenzuela consil. 121. num. 160. Sed licet hæc quæstio olim controverteretur apud nos , nullius utilitas est , quia ex I. 80. Tauri , quæ est lex 2. tit. 20. lib. 8. recipi. non potest seorsim ab altero alter accusari , sed simul omnes in iudicium trahendi sunt , & unâ sententiâ causa terminatur. Notarunt Gregor. in dict. I. 9. gloss. 2. Didacus Perez in I. 2. propositum . tit. 15. lib. 8. ordin. & apud alias nationes idem receptum esse dicit Bayardus ad Iul. Claram § adulterium ex num. 30. Unde in præsenti casu etiæ femina damnata esset adulterii , non ideo talis condemnatio clericu obesseret ; propter infamiam tamen imponit illi purgatio canonica , de qua agemus in cap. 1. de purgat. canon.

C A P U T V I.

Idem ^a Turonensi Archiepiscopo.

Intelleximus per litteras , tam ven. f. n. ^b Pictavien. Episcopi , quæm per ea , quæ coram dil. fil. A. Subdiacono , & Capellano nostro , super hoc auditore concessu , proposita pro partibus extiterunt , quod cum S. laicus Elizabeth uxorem suam à maritali confortio